AUTHOR:

ROSS, MICHAEL

TITLE:

DE BACCHO DELPHICO

PLACE:

BONNAE

DATE:

1865

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

3KS/SAVE Books FUL/BIB NYCG92-B43692 Acquisitions NYCG-NEH
Record 1 of 0 - SAVE record
UNI
ID:NYCG92-B43692 RTYP:a ST:s FRN: MS: EL: AD:12-01-92
CC:9668 BLT:am DCF:? CSC:? MOD: SNR: ATC: UD:12-01-92
CP:gw L:lat INT:? GPC:? BIO:? FIC:? CON:???
PC:s PD:1865/ REP:? CPI:? FSI:? ILC:???? II:?
MMD: OR: POL: DM: RR: COL: EML: GEN: BSE:
040 NNC‡cNNC
100 1 Ross, Michael.
245 10 De Baccho Delphico‡h[microform],‡bsvmmorvm in philosophia honorvm...‡c scripsit...Michael Ross.
260 Bonnae,‡bTypis expressit Petrvs Nevsser,‡c1865.
300 28 p.
LDG ORIG
QD 12-01-92

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-4-93 INITIALS JA
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE BACCHO DELPHICO

SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE OBTINENDORVM CAVSA

SCRIPSIT

ET VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE II. MENSIS DECEMBRIS ANNI MDCCCLXV

PVBLICE DEFENDET

MICHAEL ROSS

RHENANVS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

LVDOVICVS WENIGER, PHIL. DR.
EDVARDVS HILLER, SEM. PHIL. SOD. ORDIN.
RVDOLFVS SCHOELL, PHIL. DR.

BONNAE

TYPIS EXPRESSIT PETRVS NEVSSER.

MDCCCLXV.

OTTONI JAHN

PRAECEPTORI CARISSIMO

CONRADO DVNCKLENBERG

FAVTORI HVMANISSIMO ET BENEVOLENTISSIMO

PIO GRATOQVE ANIMO

A.

Quantam vim quantamque auctoritatem Delphi habuerint in rebus ad religionem spectantibus nemo nescit, qui aliquam habet antiquitatis notitiam. Omnes fere et dedicandi et lustrandi et sacrificandi caerimoniae quibus Graeci utebantur Delphis tamquam communi sacrorum meditullio partim profectae partim comprobatae sunt. Principem locum inter religiones Delphicas obtinuit cultus Apollinis, cui si praecipuam partem eius qua Delphos floruisse diximus auctoritatis tribuendam esse censeas, nullius certe movebis offensionem. Caeterorum deorum qui Delphis colebantur nullus est, qui propius accedat ad Apollinis auctoritatem, quam Bacchus. Cuius sacra quantumvis cum Apollinis splendore ac maiestate tum ipsorum natura a nostro contutu recesserint, tam multa tamen exstant testimonia, ut satis perspicuam eorum imaginem exprimere nobis liceat. Quodsi inde apparebit religionem bacchicam Delphorum non solum Delphis ipsis locum obtinuisse dignissimum [1]), sed etiam per totam Graeciam multum auctoritate sua valuisse eiusdemque cognitione non mediocrem lucem afferri permultis quaestionibus ad antiquitatis sacra pertinentibus, satis opinor excusatum erit, si accuratius quid de illius religionis natura origine progressuque statuendum sit enucleare et stabilire ausim. — Priusquam autem hanc quaestionem instituamus, ut firmioribus nitatur fundamentis, Delphorum festa bacchica eorumque sacras caerimonias enarrare atque perscribere opus erit [2]).

Bacchi sollemnia ut fastis Delphicis suis quaeque locis inserantur, propter eorum quae de iis nobis tradita sunt inopiam fieri nequit. Hoc unum pro certo stabiliri potest Delphis quoque ut in aliis, fortasse omnibus, Graeciae urbibus [3]) sacra bacchica hiberno tempore agi solita esse [4]). Cui qui

[1]) Liceat anticipare hoc loco Plutarchi testimonium, qui ait de εἶ ap. Delph. IX: ᾧ (Διονύσῳ) τῶν Δελφῶν οὐδὲν ἧττον ἢ τῷ Ἀπόλλωνι μέτεστιν.

[2]) De hac re saepius iam tractata postremo disseruit Chr. Petersen in progr. Der delphische Festcyclus des Apollo und Dionysus. Hamburg 1859. p. 13 sqq

[3]) Cf. C. F. Hermann Gottesd. Alterth. §§ 46 et 47.

[4]) Cf. Plutarch. l. l.: τὸν μὲν ἄλλον ἐνιαυτὸν παιᾶνι χρῶνται περὶ τὰς θυσίας, ἀρχομένου δὲ χειμῶνος ἐπεγείραντες τὸν διθύραμβον ἀντ' ἐκεινου (Ἀπόλλωνος) τοῦτον ἀνακαλοῦνται τὸν θεόν (Διόνυσον).

menses Delphis nominatim tribuendi sint haud satis exploratum habemus; Dadaphorium iis adnumerandum eoque mense sacra Bacchi longe gravissima Delphis celebrata esse statuerunt omnes qui de anno Delphico disputarunt[1].

Omnes quarum nomina nobis tradita sunt Delphorum sollemnitates bacchicae plurium annorum intervallo agebantur[2]; principem locum inter omnes obtinent Trieterica, quae tertio quoque anno obiri solita esse nomen ipsum indicat[3]. Haec sacra vel continua vel intermissa per plures dies celebrata esse facile coniicias ex copia et varietate caerimoniarum ac rituum ad ea spectantium. Revocabant enim illa quidem sacram memoriam et defuncti dei et in vitam restituti omniaque igitur Bacchi πάθη quae dicuntur comprehendebant. Utra sacrorum tempore priora fuerint ambigitur adhuc inter viros doctos. Dei in vitam restitutionem vel regenerationem hiemis initio, obitum exeunte hieme brevi ante Apollinis theophaniam actum esse opinatur C. Boetticher[4]. Diversa est Chr. Petersenii sententia, qui regenerationis sollemnia sacris sepulcralibus posteriora fuisse, brevi tamen intervallo ea secuta esse autumat[5]. Lectis perpensisque omnibus quas hic ad probandam suam sententiam attulit causis facere non possum, quin totus in eam accedam, quippe quae maxime conveniat Graecorum

---

[1]) Mensium Delphicorum nomina post egregiam C. F. Hermanni operam nunc quidem omnia nobis innotuerunt inscriptionibus a C. Weschero et P. Foucartio anno h. s. LXIII editis, quae quidem novas moverunt difficultates, hibernorum tamen mensium seriem hanc fuisse ut credamus nos adducunt: Dadaphorium Poetropium Amalium. Cff. quae nuperrime de hac re disseruit Kirchhoff in Monatsber. der Berl. Acad. 1864 p. 129 sqq.

[2]) **Anniversaria** quoque sollemnia Delphis Baccho acta esse Plutarchi verba supra allegata indicant idemque coniicias ex natura cultus bacchici cum universi tum Delphici. Cff. quae infra dicta sunt p. 9.

[3]) Macrobius nostro non antiquo dicendi more Bacchanalia **alternis** annis in monte Parnaso agi solita esse ait in Sat. l. I. c. 18. Nescio an Pausanias X, 4, 2. *παρὰ ἔτος* eodem sensu usurpaverit. Cf. Schoemann ad Plut. Cleom. 15 p. 221.

[4]) In Tectonik der Hellenen II. p. 310 sq. et in dissertationibus peregregiis, quae inscribuntur „Zu den Bildwerken der dreiseitigen Basis in Dresden" in Gerhardii Archaeol. Ztg. 1858 Nrr. 116—118 et in programmate in Winckelmanni natalicium memoriam eod. anno scripto (Das Grab des Dionysos).

[5]) Proposuit Petersen hanc sententiam l. c. p. 13 et 34, uberius eam explanavit in Philologi tomo XIV p. 79 sqq.

consuetudini in omnibus eiusmodi sollemnitatibus usu receptae[1]).

Trieteridis igitur Delphicae caerimonias ordine iam enarraturo licebit primum disserere de sacris **sepulcralibus.** Quales haec fuerint haud multum deest quin prorsus nesciamus. Quae vero de iis nobis cognita sunt, omnia fere debemus C. Boetticheri praeclaro ingenii acumini, qui demonstravit duo ex anaglyphis notissimae illius basis Dresdensis perversissime olim explicata ad Delphici Bacchi sacra pertinere[2]) unumque quidem eorum sepulcrales caerimonias repraesentare[3]). Caelatum videmus hoc anaglypho tripodem, quem loculum Bacchi Delphis fuisse sat multis constat testimoniis[4]), in columna positum feminamque thyiadum fortasse principem taeniis eum redimientem adstante templi neocoro, cuius munus erat peractis funebribus caerimoniis, quibus loci sanctitas violata putabatur, adytum everrere ac lustrare. En habes Bacchi sacra sepulcralia a scriptoribus quidem vix memorata[5]), satis tamen plane marmore

---

[1]) C. Boetticher ipse de hac consuetudine disseruit in Tecton. l. II. p. 164, 167, 173 No. 143 idemque censuit Plutarchi locum de Is. et Osir. 35 ad sacra sepulcralia referendum esse (l. l. p. 220 No. 287); Plutarchus autem dicens: *θύουσιν οἱ ὅσιοι θυσίαν ἀπόῤῥητον ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Ἀπόλλωνος, ὅταν αἱ θυιάδες ἐγείρωσι τὸν Λικνίτην* apertissime indicare mihi videtur sacra sepulcralia palingenesiis sollemnibus praeisse.

[2]) Primum hanc interpretationem proposuit C. Boetticher in Tecton. d. Hell. l. II. p. 170 et 178 defenditque eam postea victor contra Starkium in commentationibus supra commemoratis, quarum argumenta hoc loco repetere supervacaneum duxi. Omnes quantum scimus aetatis nostrae mythographi et archaeologi eam comprobarunt. Dissentiatne Welcker, qui caerimonias ad Delphicum Bacchi sepulcrum spectantes nobis non innotuisse dicat (Gr. Goetterl. II. p. 632), incertum est, quoniam illarum commentationum nullam facit mentionem.

[3]) Apud Gerhardium (in archaeol. Ztg. 1858) tab. CXI. Nr. 3 notatum.

[4]) De tripode Bacchi Delphici sepulcro satis copiose disseruerunt veterumque scriptorum testimonia studiose collegerunt C. Boetticher et Chr. Petersen ll. cc. Qui ante eos de eadem re disputarunt, enumeratos invenies ap. C. F. Hermannum G. A. § 64, 1.

[5]) De sepulcro Bacchi Delphico permulta exstant veterum scriptorum testimonia, sepulcralia autem sacra praeter Plutarchum (cf. No. 1) nemo commemoravit, nisi cum O. Muellero (Prolegg. myth. p. 390) et C. Boetticher (Tecton. II. p. 220 Nro. 287) etiam Lycophronis vv. 207 sqq.:

ᾧ ποτ' ἐν μυχοῖς
Δελφινίου παρ' ἄντρα Κερδῴου θεοῦ
Ταύρῳ κρυφαίας χέρνιβας κατάρξεται

huc referendos esse censeas atque coniicias illas *κρυφ. χέρνιβας* eandem esse *θυσίαν ἀπόῤῥητον*, quam Plut. memorat.

efficta: loculus Bacchi in adyto templi Apollinei collocatus a sacerdote femina, thyiadum principe, consecrabatur, quo facto adytum ipsum parentalibus maculatum a neocoro lustrabatur. Quibus praeterea aliis caerimoniis usi sint qui obitum Bacchi Delphis celebrabant, cum nihil amplius nobis traditum sit, his acquiescamus nec meris coniecturis certa incertis misceamus. Hoc unum tamen pro certo etiam affirmari potest secreta fuisse haec sacra coramque paucis celebrata esse [1].

Sacra sepulcralia, ut supra constituimus, dei **in vitam restitutionis** sollemnia exceperunt. De quibus tam multa tamque certa exstant testimonia, unde imaginem ab omnibus fere partibus expletam nobis effingere possimus, ut vix aliarum festivitatum Delphicae trieteridis similium comparatione opus sit [2]. Totius sollemnitatis praecipua pars, ad quam solam plerumque Trietericorum nomen spectat, orgia fuerunt in Parnaso monte circa Corycium antrum agitata. Celebrabantur autem ea a matronis virginibusque complurium Graeciae civitatum licetque suspicari pariter atque ad Apollinis Pythia virorum ad Bacchi Trieterica obeunda mulierum coetus vel thiasos ex universa fortasse Graecia Delphos confluxisse [3], quibus ab immoderata effusaque orgiorum natura thyiadum vel maenadum nomen fuisse notissimum est. Auspicata vero esse etiam haec sacra Delphis ipsis in eodem adyto templi Apollinei apparet ex altero, quod supra memoravimus, marmoris Dresdensis anaglypho [4], quo facem in columine collocatam a sacerdote quodam bacchico eademque fortasse thyiadum principe consecrari videmus. Facibus enim consecratis thyiades in orgiis in Parnaso concelebrandis utebantur, unde sollemnia ipsa apud Euripidem „Φανὰς Βακχίου,“ mensem, quo peragebantur, Dadaphorium Delphis denominatum esse verisimillimum est [1]. Incensis facibus thyiades Delphis coortae summa Parnasi iuga Coryciumque antrum petebant Bacchum excitaturae. Quibus caerimoniis id fieri solitum sit, nusquam clare indicatur; hoc tantum a scriptoribus memoriae proditum est thyiades effusis crinibus nebridibus indutas vel thyrsos intentantes vel hederas gestantes taedis collucentibus modo per montes silvasque furentium instar dissonis clamoribus circumvagari modo ad tibiarum cantum et cymbalorum tinnitum choros vel tripudia nocturna deo agitare consuevisse. Efficere igitur sibi fortasse videbantur thyiades clamoribus suis ac dithyramborum cantu ut Bacchus in vitam restitueretur. Excitatum deinde deum λίκνῳ h. e. vanno latentem, unde Λικνίτης redivivo Baccho nomen erat, iubilantes Delphos deducebant, quorum incolae „ex urbe ruentes laeti“ deum exceperunt [2]. Delphis igitur ut auspicata atque incepta ita etiam finita sunt haec sacra.

Supra iam dictum est Trietericorum omnia sollemnia hiberno tempore celebrari solita esse. De orgiis in Parnaso a thyiadibus agitatis clare id insuper testatur Plutarchi locus [3], unde apparet vehementibus ventis ac nivibus adeo interdum thyiades periclitatas esse, ut Delphorum incolae iis opitulatum montes conscenderent. Accuratius Trietericorum tempus constituere conati sunt Chr. Petersen et E. Gerhard [4], quorum hic inter Atheniensium Lenaea et

---

[1]) Apparet hoc ex Plut. atque Lycrophronis verbis. Cf. Lobeck Aglaoph. p. 617.

[2]) Ad Delphicam trieteridem nominatim spectant hi loci: Aeschyl. Eum. 22 sqq.; Soph. Antg. 1126 sqq.; Eurip. Phoen. 226 sqq., Bacch. 306, 556 sqq., Iph. T. 1243, Jon. 550, 714, 1126 sqq.; Aristoph. Nub. 599, Ran. 1211; Plut. de Is. et Osir. 35, de prim. frig. 18; Pausan. X, 4, 2 et 32, 5; Nonn. Dionys. 9, 283, 13, 127; Hesych. s. v. Λικνίτης; Catull. 64, 390; Lucan. V, 72; Macrob. Sat. I, 18, 3 sqq.

[3]) Praeter Delphicas Thebanae et Atticae thyiades a scriptoribus commemorantur. Cf. Welcker Gr. Goettl. II. p. 633. Thyiades Atticas easdem fuisse atque Geraeras Anthesteriorum sacra facientes haud absurde suspicatur Gerhard (Ueber die Anthesterien etc. in Commentt. Acad. Bor. 1858 phil. hist. Cl. p. 166 sq. Cf. Harpocr. s. v. Γεραραί). Viros ab orgiis mulierum haud prorsus exclusos fuisse demonstravit Chr. Petersen l. c. p. 38.

[4]) Ap. Gerhardium l. c. Nr. 2 notatum.

[1]) Magnopere mihi placet C. Boetticheri coniectura, qui facem, quam in anaglypho Dresdensi effictam videmus, stabile Bacchi monumentum fuisse arbitratur, Βάκχον vel Φάνον appellatum idque stetisse inter sepulcralem eiusdem dei tripodem et auream Apollinis statuam (Tectonik. II. p. 310 et arch. Ztg. 1858 Nr. 118). Fuit fortasse hic φάνος antiquissima Delphici Bacchi effigies similis vel eadem atque Διόνυσος qui vocatur Στῦλος. Cf. Welcker l. c. II. p. 218.

[2]) Quale fuerit symbolum dei redivivi ignoramus. Petersen coniecturam proposuit recentibus hederae ramulis Licnitem adumbratum esse (l. c. p. 34 No. 31); Preller (Gr. Myth. I. p. 538 2) puerulum, phallum Gerhard (Gr. Myth. I. p. 492) in mystica illa vanno, cui nomen erat λικνον, latuisse arbitratur.

[3]) Plut. de pr. frig. 18: ἐν δὲ Δελφοῖς αὐτὸς ἤκουες ὅτι τῶν εἰς τὸν Παρνασὸν ἀναβάντων βοηθῆσαι ταῖς Θυιάσιν ἀπειλλημμέναις ὑπὸ πνεύματος χαλεποῦ καὶ χιόνος οὕτως ἐγένοντο διὰ τὸν πάγον σκληραὶ καὶ ξυλώδεις αἱ χλαμύδες ὡς καὶ θραύεσθαι. Cf. Ovid. Fast. I. 394.

[4]) Petersen l. c. p. 38; Gerhard Ueb. d. Anthest. l. c. Cf. etiam Preller Gr. Myth. I. p. 527 ed. II.

Anthesteria, ille inter Dionysia ruralia et Lenaea ea celebrata esse autumat. Petersenii sententiae ut adstipuler adducor non tam argumentis ab eo allatis, quam sede Dadaphorii mensis, quae nunc quidem certius explorari potest. Etenim si Bysius, quem Delphis primum verni temporis mensem fuisse Plutarchus docet[1]), Phocensium quinto[2]), Dadaphorius, in quem Trieterica inciderunt, secundo Phocensium comparatur[3]), hinc apparet Dadaphorium ideoque etiam Trieterica circa brumam propius Atheniensium Posideoni vel Gamelioni, quam Anthesterioni sedem habuisse.

De Trietericis haec quidem hactenus. Transituris iam ad reliqua sollemnia, quae Baccho Delphis celebrari solebant, proxime agendum est de Heroide, quae non tam ad Bacchum ipsum quam ad Semelam eius matrem spectabat. Huius sollemnitatis memoriam Plutarchus solus nobis servavit, qui ait in quaestt. Gr. c. XII.: *τρεῖς ἄγουσι Δελφοὶ ἐνναετηρίδας κατὰ τὸ ἑξῆς, ὧν τὴν μὲν Σεπτήριον καλοῦσι, τὴν δὲ Ἡρωΐδα. τὴν δὲ Χαρίλαν . . . Τῆς δὲ Ἡρωΐδος τὰ πλεῖστα μυστικὸν ἔχει λόγον, ὃν ἴσασιν αἱ θυιάδες, ἐκ δὲ τῶν δρωμένων φανερῶς Σεμέλης ἄν τις ἀναγωγὴν εἰκάσειεν.* Referenda est igitur etiam haec sollemnitas, qua Semelae ab inferis reductionem per Bacchum filium perpetratam thyiades nono quoque anno[4]) celebrabant, inter mysteria atque inter ea quidem, quorum ritualia aut partim aut omnia palam fieri solebant, sermo autem sacer[5]) solis initiatis cognitus erat[6]). Quales fuerint illae caerimoniae, quae per hoc festum palam exercebantur a thyiadibus, Plutarchus haud indicat ideoque ambiguum est, num artis monumenta quae ad Semelae

---

[1]) Quaestt. gr. c. IX.

[2]) Wescher et Foucart Inscriptt. de Delphes 35.

[3]) Ibid. 130.

[4]) Ex versibus quibusdam hymni orphici XLIV 6 sqq.:

Τιμὰς τευξαμένη παρ' ἀγαυῆς Περσεφονείης
Ἐν θνητοῖσι βροτοῖσιν ἀνὰ τριετηρίδας ὥρας
Ἡνίκα σοῦ Βάκχου γονίμην ὠδῖνα τελοῦσιν
Εὐίερόν τε τράπεζαν κτλ.

Lobeck (in Agl. p. 619) coniecturam fecit haec mysteria per trieterica Delphis celebrata esse, parum curiosus Plutarchi verborum, qui plane haec sacra ennaeterica fuisse docet. Plutarchi vero scriptoris rerum Delphicarum peritissimi testimonium minime labefactari arbitror hymni illius indicio. Quam autem ob causam ennaeterica fuerit Heroidis sollemnitas enucleari nequit.

[5]) *Τὰ λεγόμενα* oppos. *τὰ δρώμενα.*

[6]) Cf. Petersen D. geheime Gottesdienst bei den Griechen p. 18.

anagogam spectare videntur[1]) ad Heroidem Delphicam pertineant an ad aliorum locorum sollemnitates Delphicae similes[2]). Coniectare tamen licet et ex his monumentis et ex Plutarchi verbis supra citatis praecipuam Heroidis partem pompam fuisse facibus collucentibus ductam[3]), qua Semelae anagogam scaenico quodam apparatu thyiades imitando concelebrabant[4]). Potest etiam hoc fortasse pro certo affirmari Heroidis sollemnitatem ut caetera sacra ad Bacchum pertinentia Delphis hiberno tempore vel ineunte vere actam esse[5]).

Inter sollemnia quae Baccho Delphis celebrabantur, a nonnullis etiam altera illa ennaeteris, cui nomen est **Charilae**, numeratur[6]). Revocabat ea memoriam vehementissimae famis et inopiae, qua Delphi olim vexati erant. Plutarchus horum quoque sacrorum solus nobis indicium prodidit l. c.: *περὶ δὲ τῆς Χαρίλας τοιαῦτά τινα μυθολογοῦσι. Λιμὸς ἐξ αὐχμοῦ τοὺς Δελφοὺς κατέσχε, καὶ πρὸς τὰς θύρας τοῦ βασιλέως ἐλθόντες μετὰ τέκνων καὶ γυναικῶν ἱκέτευον. ὁ δὲ τῶν ἀλφίτων καὶ χεδρόπων μετεδίδου τοῖς γνωριμωτέροις αὐτῶν. οὐ γὰρ ἦν ἱκανὰ πᾶσιν. ἐλθούσης δὲ παιδὸς ἔτι μικρᾶς ὀρφανῆς γονέων καὶ προσλιπαρούσης, ἐῤῥάπισεν αὐτὴν ὑποδήματι καὶ τῷ προσώπῳ τὸ ὑπόδημα προσέῤῥιψεν. ἡ δὲ ...... ἐκποδὼν γενομένη ἀνήρτησεν ἑαυτήν. ἐπιτείνοντος δὲ τοῦ λιμοῦ καὶ νοσημάτων προσγενομένων ἀνεῖλεν ἡ Πυθία τῷ βασιλεῖ Χαρίλαν ἱλάσκεσθαι παρθένον αὐτοθάνατον. μόλις οὖν ἀνευρόντες, ὅτι τοὔνομα τοῦτ' ἦν τῇ ῥαπισθείσῃ παιδί, μεμιγμένην τινὰ καθαρμῷ θυσίαν ἀπετέλεσαν, ἣν ἐπιτελοῦσιν*

---

[1]) Enumerata sunt haec monumenta apud O. Muellerum (Handb. d. Archaeol. § 173, 3) et apud Welckerum (l. c. II. p. 583 et 584 No. 36). Adde apud Gerhardium Ueb. d. Anthest. tab. 1 et ap. Panofkam Dionysos und die Thyiaden tabb. 3—12.

[2]) Similes sollemnitates commemorantur apud Pausaniam II, 31, 2 et 37, 5, ap. Apollod. III. 5, 3, ap. Diod. III. 62 et IV. 25 extr. Cf. Gerhard Gr. Myth. I. 478 et 507

[3]) Cf. C. Boetticher Tecton. II. p. 178.

[4]) Propter similitudinem, quam interesse manifestum est et inter Semelam Delphorum, Persephonam Coram Atheniensium, Ariadnam Cretensium et earundem dearum sollemnitates suspicari licet Semelam Delphis non solum matrem verum etiam sponsam Bacchi creditam esse. Cff. Gerhd. Ueb. d. Anthest. p. 168, arch. Ztg. 1859 p. 130 sqq. et Mommsen Heortologie p. 72.

[5]) Cf. Preller l. c. I. p. 220 No. 2.

[6]) C. F. Hermann G. A. § 64 et Petersen l. c. p. 21.

ἔτι καὶ νῦν δι' ἐννέα ἐτῶν. προκάθηται μὲν γὰρ ὁ βασιλεὺς τῶν ἀλφίτων καὶ τῶν χεδρόπων ἐπιδιδοὺς πᾶσι καὶ ξένοις καὶ πολίταις, κομίζεται δὲ τῆς Χαρίλας παιδικὸν εἴδωλον. ὅταν οὖν πάντες λάβωσιν, ὁ μὲν βασιλεὺς ῥαπίζει τῷ ὑποδήματι τὸ εἴδωλον, ἡ δὲ τῶν Θυιάδων ἀρχηγὸς ἀραμένη κομίζει πρός τινα τόπον φαραγγώδη, κἀκεῖ σχοινίον περιάψαντες τῷ τραχήλῳ τοῦ εἰδώλου κατορύττουσιν, ὅπου τὴν Χαρίλαν ἀπαγξαμένην ἔθαψαν. — Nullius deorum ad quem haec sollemnia pertineant his verbis mentio fit; bacchica ea fuisse inde coniecerunt viri docti, quod thyiades illas caerimonias fecisse Plutarchus prodidit. Haud sufficere arbitror hoc unum argumentum, unde illud effiici possit nec minus probabiliter coniiciat quispiam spectavisse haec sollemnia ad Apollinem, quem quasi annonae praesidem fuisse sat multis eius cognomentis constat[1]). Tanta praeterea, ut infra videbimus, sacrorum communio inter Apollinem et Bacchum fuit Delphis, ut sacra quaedam Apollinaria a thyiadibus celebrata esse facile concedas[2]). Quas ab causas Charilam bacchicam fuisse sollemnitatem magnopere dubitandum esse putamus[3]). —

[1]) Huic sententiae L. Preller inclinasse videtur, qui l. c. Charilae sollemnitatem messis tempore vel circa Apollinis theophaniam actam esse autumat.

[2]) Sacra quaedam bacchica ab Apollinis sacerdotibus, quibus nomen erat Hosiis, facta esse supra memoravimus; quid igitur obstat, quominus thyiades quoque, quarum perpetuum collegium Delphis fuisse verisimillimum est, Apollini operatas esse statuamus? Cuius rei Pausanias, si verum prodidit, indicium nobis reliquit dicens (X. 32, 5) orgia a thyiadibus in Parnaso agitata ad Apollinem quoque spectasse. (Cf. Lucan. V, 72.)

[3]) Delphicae Charilae persimiles sunt ritus ac caerimoniae, quibus inter omnes fere Slavorum Germanorumque gentes fugam vel hiemis vel mortis, quae comes illius putabatur, aut solae **mulieres** aut puellae cum pueris mixtae („quarta dominica quadragesimae") agere solebant. Symbolum mortis vel hiemis expellendae etiam in hoc sacrorum genere pupa fuit stramento lignove facta, quae postquam per totum vicum circumlata erat vel igni comburebatur vel aqua submergebatur. Descripta sunt illa sollemnia, quorum vestigia adeo ad nostram aetatem pervenerunt, a Jac. Grimm in Deutsche Mythol. II. p. 727. Charilae sollemnitas sine dubio ex iisdem radicibus originem duxit neque errare nobis videmur si eam famis vel inopiae ex hieme oriundae prosopopoeiam euphemisticam — venia sit huic vocabulo — fuisse statuimus. (Cf. id. Grimm l. c. p. 842et 1106). Hoc concesso etiam de tempore quo Charila acta sit eiusque ratione cum Apolline facilis erit coniectura, si modo reputaveris quam prope

Praeter Heroidem atque Trieterica cum alia apud Delphos Bacchi sollemnia commemorentur nulla, oritur iam quaestio, quaenam sit indoles atque proprietas religionis bacchicae Delphorum.

Antiquissimam Graecorum religionem ex simplici quadam naturae contemplatione natam esse consentiunt omnes aetatis nostrae mythologi[1]). Priscae aetatis hominibus ipsa natura vivum quoddam divinumque numen videbatur temporumque commutationes per annum apparentes totidem putabantur eiusdem numinis vel actus vel casus. Cum flore omni exuta vel aestu vel frigore torpebat natura, ipsum illum deum vel somno vel morte oppressum vel vinculis clausum opinabantur; ubi vero prima revirescentis naturae vestigia cernebantur, idem ille somno excitus vel in vitam revocatus esse putabatur[2]). Haec duo temporis momenta ut manifestissima naturalis quem dicunt anni apparent, ita hominum quoque animos maxime ad religionem excitarunt, haec prima per annua sacra aptis caerimoniis agitari coepta sunt[3]). Trietericis quoque bacchicis cum aliorum locorum tum Delphorum eadem temporis momenta sollemniter acta esse consentiunt omnes, quorum auctoritas in his rebus plurimum valet. Fuit igitur Trietericorum Bacchus idem ille deus naturalis, qui alibi sub alio nomine nobis occurrit, Bacchi autem πάθη, quae in sacris trietericis scaenica quadam imitatione repraesentari solebant, symbola fuerunt vicissitudinum in rerum natura per annum apparentium: funebria sollemnia ad torpentem naturam, palingenesia ad revirescentem spectabant[4]). Repugnare videtur huic interpretationi, quod alternis solum annis, ut supra diximus, Trie-

ad Septerii similitudinem accedat altera pars illorum sollemnium, quae ad aestatem ingredientem spectabat.

[1]) De naturali ratione ac forma religionis antiquissimae cum Graecorum tum caeterarum antiquitatis gentium cff. Petersen Geh. Gottesd. p. 3 et 27, Naegelsbach Nachhom. Theol. p. 94, Bernhardy Griech. Ltg. I. p. 166, Welcker l. c. I. p. 47, Preller l. c. I. p. 89, Gerhard Ueb. d. Anthest. p. 151, alii.

[2]) Cf. Plutarch. de Is. et Osir. c. 69.

[3]) Cff. Creuzer Symb. IV. p. 599, C. F. Hermann G. A. § 44, Welcker l. c. I. p. 96, Preller l. c. p. 87, Jac. Grimm Deutsche Mytholog. p. 715 sqq.

[4]) De Trietericorum vi et significatione in eandem sententiam disputarunt Schoemann Griech. Alterth. II. p. 444, Petersen D. delph. Festcycl. p. 16, Preller l. c. I. p. 519, 523, 544, Welcker l. c. II. p. 522, 629, Gerhard Griech. Mythol. I. p. 137, A. Mommsen l. c. p. 166, alii.

terica agitari solebant. Atqui ex Plutarchi loco, quem supra allegavimus, dilucide apparet anniversaria quoque sacra Baccho Delphis celebrata esse, quorum ritus cum sine dubio persimiles fuerint ipsis Trietericis, astipulaberis A. Mommsenio, qui altero quoque trieteridis anno prioris sacra minore fortasse splendore ac pompa iterata ternorumque annorum periodum — incertum quam ob causam [1]) — ex decreto quodam magnis Trietericis constitutam esse statuit. [2])

Sacrorum trietericorum indolem si recte interpretati sumus id quoque consequitur fabulam de Bacchi vel Zagrei morte [3]) nonnisi per eandem rationem allegoricam explicandam esse idemque significare quod fabula de raptu Proserpinae aliaeque vel de fugis vel de servitiis vel de mortibus deorum quorundam agentes [4]). Concedas Lobeckio natam esse hanc fabulam ex ritibus ipsis literisque mandatam non ante Onomacriti aetatem [5]), elementa tamen fabulae, quae

[1]) Trieteridis explicationem ex vitium cultura petendam esse censuerat L. Preller testante A. Mommsenio (l. c. p. 472), merito tamen contradicente vitium culturam non trietericam esse. — Liceat mihi meam quandam de trieteride opinionem proponere. Parnasiis orgiis ut supra dictum est Boeoticae quoque mulieres interesse solebant. Quoniam autem constat persimilia Parnasiis sollemnia in Cithaerone Boeotiae monte eodem anni tempore agitata esse haud temere auspicari nobis videmur ratione quadam coniuncta fuisse haec sollemnia decretumque ut altero anno in Parnaso altero in Cithaerone communiter celebrarentur.

[2]) Haec sunt A. Momms. verba: „Wie der demetreische, so war auch der bacchische Festkreis naturgemäss eine Durchlaufung des Sonnenjahrs, ein **einmaliger** Wechsel der Jahreszeiten; durch menschliche Satzung (cf. no. 1) wurde jener wie dieser zur doppelten Länge ausgeweitet; denn auch Bacchus empfing eine dogmatische Trieteris. Das zweite Jahr der Trieteris war ohnehin nur eine modificirte Wiederholung des ersten.“ L. c. p. 66.

[3]) Zagreum **Delphici** quoque Bacchi cognomen fuisse testatur Plut. de ει ap. D. c. IX.

[4]) De similitudine harum omnium fabularum cf. Lobeck Agl. p. 677 et Welcker l. c. p. 629. — Si veterum scriptorum nonnulli veluti Diodorus (III. 61 cf. Lob. Agl. p. 710), hanc fabulam nihil aliud quam vini culturam, putationem et uvarum sub prelum subiectionem significare putant atque adeo ab Orpheo auctoritatem huius explicationis repetendam esse affirmant, statuendi quadam levitate hoc faciunt. Quantumvis enim ad trietericum quoque Bacchum uvae cultura spectet (cf. Eurip. Bacch. 236, 279, 534, 651, 772 etc.), ea tamen illius numen, quod **universam** naturae vitam comprehendit, haud totum continetur. A Zagreo denique, ut merito monet Lobeck (l. c. p. 562), vini et nomen et inventum prorsus alienum videtur.

[5]) L. c. p. 693 et 698. Ante Onomacritum iam Terpandrum Bacchi mortem cecinisse coniecit Petersen ex I. Lydi verbis de mens. 10, 38: *Τέρπανδρος Νύσαν λέγει τετιθηνηκέναι τὸν Διόνυσον τὸν ὑπό*

quasi argumentum ipsorum sacrorum nec quidquam aliud fuerunt, quam commutationum in rerum natura per annum subsequentium allegorica quaedam narratio, sine ulla dubitatione ab eadem, qua sacra ipsa, antiquitate repetenda sunt [1]). Quo in loco fabulae huiusce tela primum texta sit nullus antiquitatis scriptorum memoriae prodidit. Delphorum vero sacerdotes in excolenda ea atque adornanda multum operae consumpsisse mecum statuet quicunque eius argumentum novit. In Parnaso monte Bacchus ab inimicis oppressus atque occisus esse dicitur, Apollo membrorum reliquias Delphis in adyto templi sui composuit, de Delphico denique Bacchi sepulcro consentiunt omnes inde a Philochoro antiquitatis scriptores, qui defuncti Bacchi mentionem faciunt. Quoniam igitur Delphi locaque propinqua scaena quasi totius fabulae sunt, quid obstat quin affirmemus Delphorum sacerdotes vel theologos pertractasse hanc fabulam eamque ei formam dedisse, qua postea et memoriae et literis tradebatur? — De fabulae origine et compositione quid statuendum sit infra demonstrabimus; redeamus nunc ad propositum. Trieterica sollemnia genus quoddam esse religionis quam dicunt naturalis supra statuimus. Heroidis quoque sacra eodem spectare cum Semelae natura ac numen tum ipsius sollemnitatis ratio nos edocet. Constat enim inter omnes fere viros doctos Semelam nil esse nisi prosopoeiam telluris [2]) idemque significare quod Persephonam Coram [3]). Semelae igitur anagogam, quam Heroidis sollemnitate celebratam esse diximus, eandem reflorescentis naturae allegoriam fuisse necesse est, quam Persephonae vel ipsius Bacchi sacra palingenesia exprimunt. —

Sacra bacchica Delphorum omnia fuerunt secreta ideoque inter mysteria numeranda sunt, quibus interesse initia-

τινων Σαβάζιον καλούμενον ἐκ Διός καὶ Περσεφόνης γενόμενον, εἶτα ὑπό Τιτάνων σπαραχθέντα, dubitat tamen, num iam a Terpandro Bacchus Sabazii nomine appellatus sit. Loci autem illius ratio ea est, ut qui hoc addubitet, ne illud quidem concedere possit. Cf. Lobeck l. c. p. 305.

[1]) **Zagrei** nomini nimium tribuere caveas; quod etiam si septimo demum vel sexto ante Chr. saeculo fictum esse primumque in Alcmaeonide reperiri concedas (cf. Welcker l. c. II. p. 630) fabula tamen ipsa de Bacchi morte iam multo ante late patere potuit.

[2]) Hanc etymologiam iam antiquitatis scriptoribus notam dilucide explanavit Welcker l. c. I. p. 435 sq. Cf. etiam Preller l. c. I. p. 521.

[3]) Coram Semelae quasi heredem fuisse Athenis Mommsen ait l. c. p. 72. Cf. Welcker l. c. II. p. 591.

tis solis licitum erat[1]). Constat nunc inter omnes, qui in hac antiquitatis parte studia sua collocarunt, Graecorum mysteriis non argumenta solum sacrorum ac rituum verum etiam reconditiores quasdam doctrinas de rerum humanarum cum divinis contagione et affinitate initiatis non **verbis** quidem traditas, sed tamen **per symbola** adumbratas esse[2]). Eleusiniis quidem qui initiati erant eos mortis metu liberatos et hanc vitam feliciter se acturos et beatioris post obitum participes fore credidisse optimae aetatis scriptores nobis testantur[3]). De bacchicis mysteriis Delphorum similia testimonia haud exstant. Eadem tamen solatia illis quoque oblata esse epoptis vel initiatis propterea nobis statuere licet quod ex iisdem quibus Eleusinia radicibus erant nata eademque fere continebant sacrorum argumenta[4]). Quae ut desumpta erant ex humanae vitae similitudine, ad eandem vim mutuam exercerent necesse fuit, si quidem haec sacra pia animi humani disideria omnia explere voluerunt[5]). — Noli tamen credere ab ipsis illorum sacrorum primordiis hanc sublimiorem doctrinam per mysteria esse traditam. Antiquissimi temporis hominibus eius modi dogmata sine dubio prorsus ignota fuerunt neque ea in sacris per symbola adum-

[1]) Bacchica Delphorum mysteria sine dubio in animo habuit Nicephorus in scholl. in Synes. p. 401: *τελετὰς κυρίως φασὶ τὰ μυστικῶς παραδιδόμενα λόγοις καὶ ἔργοις ἔν τε Πυθίᾳ καὶ Ἐλευσῖνι κτἀ.* et in hist. Byzant. X, 2, 319 C.: *πῶς οὐκ ἂν εἴη τῶν ἀτοπωτάτων πάλαι μὲν ὁπότε τὰ Ἑλλήνων ἤκμαζε δόγματα τάξιν ἐπιπολάζειν καὶ ἃ τοῖς Δελφῶν θεολόγοις ἐφεῖται μυστήρια μηδενὶ τῶν ἄλλων ἐξεῖναι μήτε περινοεῖν κτά.*

[2]) De omni genere mysteriorum sic statuerunt Petersen Geh. Gottesd. p. 27 sq.; Gerhard Gr. Myth. I. p. 426, 429 sqq., Bernhardy l. c. I. 167 ed. III., Preller Gr. Myth. I. p. 497, Lauer System der Myth. p. 130, alii.

[3]) Cff. Hymn. Hom. in Cer. 480: *ὄλβιος ὃς τάδ' ὄπωπεν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων. ὃς δ' ἀτελὴς ἱερῶν ὅς τ' ἄμμορος, οὔποθ' ὁμοίως αἶσαν ἔχει φθίμενός περ ὑπὸ ζόφῳ εὐρώεντι;* et Isocr. Paneg. 28: *τὴν τελετὴν ἧς οἱ μετασχόντες περί τε τῆς τοῦ βίου τελευτῆς καὶ τοῦ σύμπαντος αἰῶνος ἡδίους τὰς ἐλπίδας ἔχουσιν.* Plura v. ap. Lobeckium l. c. p. 69 sqq. et ap. Gerhardium Ueber d. Eleusinien in Commentt. Acad. Boruss. a. 1862 p. 52 et no. 52.

[4]) Satis notum est Eleusiniis quoque mysteriis Bacchi et defuncti et in vitam restituti memoriam celebratam esse.

[5]) Naegelsbachio, qui (l. c. p. 387 et 397) sola omnium mysteriorum **Eleusinia** huiusce vitae modum transgressa de rerum humanarum post mortem statu solatia praebuisse, **Trietericorum** commoda solum ad hanc vitam spectasse opinatur, astipulari nequeo totamque eiusdem mysteriorum distinctionem tripartitam ut omni fide carentem reprobandam esse censeo. Cf. Gerhard Ueber Orpheus u. die Orphiker in Commentt. Acad. Boruss. a. 1861 p. 81.

brari poterant, priusquam humanum ingenium et suopte instinctu et externarum rerum necessitate quadam stimulatum de humanae naturae proprietate inprimisque de animi substantia et qualitate meditari coepit. Quam ab causam haud errare nobis videmur si statuimus opiniones illas sublimiores Graecorum mysteriis eo demum tempore sese insinuasse, quo iam satis inter eos philosophiae studium confirmatum erat summaeque quaestiones eruditorum virorum animos detinebant. Philosophiae autem initia a sexto fere saeculo repetenda sunt; ex eodem igitur tempore sublimiores illas species (*ἰδέας*) in mysteria asciri coeptas esse optimo iure suspicari licebit[1]). Quid praeterea de mystica ratione religionis bacchicae Delphorum dicendum nobis videatur in sequenti quaestione, quam de aetate et origine et progressu illius nunc instituere in animo est, suo loco exponemus.

Religionem bacchicam non iam sub ipsis Delphorum primordiis illic floruisse, sed aliquando eo aliunde deductam esse sine ulla dubitatione pro certo affirmaveris. Unde autem et quando ea quidem Delphos invecta sit nisi coniectura enucleari nequit. Etenim cum nulla nobis fabula relicta sit, quae de Bacchi apud Delphos adventu certiores nos faciat, sola nobis restant ipsa Bacchi sacra sollemniaque, ex quorum indole ac natura, quid de origine atque aetate Delphicae Bacchi religionis statuendum sit coniicias. Inter ea cum principem locum Trieterica teneant, eorum incunabula si recte statuerimus, totius Delphicae Bacchi religionis aetas ac primordia cognita nobis erunt.

De Trietericorum origine nulla iam controversia est. Consentiunt aetatis nostrae mythographi ad unum omnes haec sollemnia in Graeciam et deducta et propagata esse a Thracibus[2]), quorum mulieres illi religioni antiquitus deditas fuisse ipse Homerus nobis testatur[3]). Graeciae in-

[1]) Hymnus Homericus in Cererem antiquissimum literarum monumentum exstat quod doctrinam de beatiore vita post obitum futura pronuntiet. Cf. p. 12 No. 3 et Bernhardy Griech. Ltg. I. p. 349 ed. III.

[2]) Cff. Hoeck Creta III. p. 175, Lobeck Agl. p. 290 sqq., Gerhard Gr. Myth. I. p. 476, Preller Gr. Myth I. p. 520, Welcker Gr. Goettl. I. p. 425, alii. Eodem spectat Euripidis testimonium, qui Bacchum a Phrygibus Lydisve iu Graeciam pervenisse ait (Bacch. 13, 86, 464), quoniam illae gentes cum Thracibus originis cognatione iuncti erant. Cf. Strabo VII. p. 295, XII. p. 572; Bernhardy l. c. p. 212 sq.

[3]) Il. VI. 130 sqq. Cf. Preller s. v. Dionysia in Paul. Realencycl. II. p. 1064, Welcker l. c. I. p. 432.

colas eadem orgia Homeri aetate iam agitare consuevisse etsi ex illius testimonio non apparet[1]) affirmare tamen quam negare maluerim. Constat enim inter omnes, qui Graecorum originibus studia sua navarunt, antiquissimis temporibus et iis quidem, quae heroicae vel Achaeorum aetati antecesserunt, Thracum stirpes in Graeciam migrasse et per omnes fere eius pagos diffusas esse[2]). Praeter Pelasgos Leleges Cares iidem illi Thraces inter vetustissimos quod quidem cognosci potest Graeciae incolas numerandi sunt. Quodsi autem discrimina antiquissimarum quae Graeciam incolebant gentium varia, quae in mythologia et religione Graecorum posteriorum aetatum permixta cernuntur, elementa sola nobis recludunt[3]), initia ac primordia religionis bacchicae, a qua Graeci ut immani et barbara primum magnopere abhorruisse videntur[4]), illo iam tempore, quo Thraces primum in Graeciam immigrarunt, introduci ac divulgari coepta esse verisimillimum est. Repugnare videtur huic opinioni, quod in Homeri carminibus, antiquissimis literarum Graecarum monumentis, Bacchus ipse nonnisi perraro commemoratur[5]) neque ullum sacrorum bacchicorum in Graecia domesticorum documentum in iisdem exstat, deorsum vero ab Homeri aetate progredientibus illorum vestigia fere gradatim increbrescunt. Licet haec vera esse concedamus, haud tamen in eorum sententiam discedere possumus, qui inde colligendum esse censuerunt, sacra bacchica Homeri aetati ignota

---

[1]) Ex Homeri loco hoc tantum colligi potest sacra bacchica illa aetate Graecis fama tenus nota fuisse. Cf. Lobeck l. c. p. 297.

[2]) De Thracum migrationibus ac sedibus Graecis satis copiose disseruit Gerhard (Ueber Griechl. Volksstaemme und Stammgottheiten in Commentt. Acad. Boruss. a. 1853 p. 462 sqq. et 468 No. 10—16). Cf. Bernhardy l. c. p. 232 sqq.

[3]) Quantum intersit si sacra ac mythologiam Graecorum penitus pernoscere velimus, singulas quae Graeciam incolebant gentes earumque contagiones quam accuratissime respicere bene monuerunt Schoemann Gr. Alterth. II. p. 152, Welcker l. c. II. p. 16 et 32, Gerhard l. c. p. 459.

[4]) Sacrorum bacchicorum introductionem ac propagationem magna in Graecia movisse certamina Baccho partim secunda partim adversa multis fabulis, veluti Penthei, Persei comprobatur, quae poetis tragicis satis ampla dignaque tragoediarum argumenta postea suppeditarunt. Atroces quoque casus, quibus domus regia Minyarum afflicta sit, nonnisi irruentis cultus bacchici et patriarum religionum contraria indole ac ratione explicari posse recte monuit Gerhard l. c. p. 466.

[5]) Quae in Homeri carminibus ad Bacchum spectant loca collecta atque examinata reperies ap. Lobeckium l. c. p. 285 sqq. Plura eorum sine dubio interpolata sunt; maximam fidem inter omnia Iliadis versus supra citati habere videntur.

fuisse unoque vel pluribus demum post eum saeculis in Graeciam sese insinuasse[1]). Quodsi enim exploratum est Thraces in Graecia ante Homeri tempora sedes habuisse, etiam hoc concedamus oportet, sacra bacchica, quae illis domestica et tamquam patria fuerunt, iam tum in Graecia et cognita et agitata esse[2]), nisi forte putamus, quaecumque Homerus aut ignoravit aut silentio praetermisit, ab eiusdem aetate prorsus aliena fuisse. Bacchus inter chthonios qui vocantur deos referendus est, qui omnes a deis Homericis atque omnino a tota et aetatis et poesis heroicae ratione habituque adeo diversi sunt, ut de perrara eorum commemoratione minime mireris[3]). Hoc unum tamen ex Homeri carminibus colligi potest omnium chthoniorum deorum sacra ideoque etiam bacchica heroicis temporibus inferiorem obtinuisse locum ipsumque Bacchum quasi minorum gentium deum fuisse. Etenim si illa aetate, quam Homerus nobis describit, reliquae gentes omnes virtuti gloriaeque Achaeorum cesserunt, summa probabilitate nobis suspicari licet eiusdem gentis religione chthoniorum deorum sacra, quae ab illorum moribus aliena fuisse diximus[4]), vel obscurata vel repulsa esse. Hac ipsa autem re factum esse putamus ut sacra bacchica propriam suam naturam secuta inter secretos cultus abirent.

---

[1]) In hunc modum disputavit Lobeck l. c. p. 297 sqq. Idem statuit Petersen, qui nono vel octavo ante Chr. saeculo sacra bacchica in Graeciam introducta esse ait l. c. p. 4.

[2]) Aliusmodi argumento fortasse hoc magis etiam confirmari potest. Inter illos deos, quorum cultus ex Thracia in Graeciam translati sunt, Mars quoque numeratur. Cuius numen in Homericis carminibus prorsus mutatum videmus itaque comparatum ut primigenia eius notio quae ad naturam spectabat non iam perspiciatur. Huic mutationi cum magno temporis intervallo sine dubio opus fuerit, verisimillimum videtur illum quidem deum iam multo ante heroicam aetatem in Graeciam deductum esse. De bacchico cultu ut idem statuamus originis communio arctaque Bacchi cum Marte coniunctio primigenia nos adducit. Plura de hac re v. ap. Welckerum l. c. I. p. 414 sqq.

[3]) De difficultatibus, quibus tota omnino de origine atque aetate chthoniarum religionum quaestio Homericis carminibus implicatur, pereleganter disseruit Preller Gr. Myth. I. p. 498 sq.

[4]) Ii quoque dei, quorum plurimam Homerus mentionem facit, priore tempore naturalem quandam habuerunt speciem ac demum per conversionem quandam decentiorem illum habitum ac colorem adepti sunt, quo nobiliori bellicosaeque Achaeorum stirpi conveniebant. Cf. Welcker l. c. II. p. 229. Chthonii autem dei, qui similem conversionem ferre non poterant suasque cum natura rationes ex necessitate quadam perpetuo conservabant, ad rusticos potius ignobilesque homines pristinis temporibus spectabant. Cf. Preller l. c.

Quae modo de universae Graecorum religionis bacchicae primordiis atque aetate exposuimus, ea de Delphicis quoque eiusdem dei sacris singillatim nobis statuenda videntur, neque quod Aeschylus primus omnium antiquitatis scriptorum de Delphico Baccho mentionem fecit [1]), inde colligendum esse putamus brevi demum ante illius scriptoris tempora sacra bacchica Delphos deducta esse. Euripides in fabulosam vel mythicam aetatem eorum originem reponit [2]), ulterius etiam progreditur scholiasta Pindari, qui Bacchum vel ante Apollinem Delphis sedem habuisse affirmat [3]). Homero denique Delphorum Trieterica cognita fuisse Pausanias Odysseae versum XI 581 testari arbitratur [4]). — Confirmantur autem haec argumenta eo, quod Delphis quoque illius populi, a quo sacra bacchica originem duxerunt, manifesta nobis vestigia occurrunt. Omnia inde a Phocide usque ad Atticam Parnasi, Libethrii, Heliconis Cithaeronisque iuga antiquissimis temporibus Thraces tenebant, qui cum Phocensibus, Boeotis aliisque gentibus, quibuscum postea coaluisse videntur, sacra sua communicarunt [5]). Eosdem Thraces etiam Delphis ipsis sedes quondam habuisse inde apparet, quod etiam postea gens quaedam Thracidarum Delphis florebat, quam ab ipso populo nomen habere cuncti consentiunt [6]). Quibus omnibus in unum collatis facere non possumus, quin Delphorum quoque sacra bacchica ab antiquissimis temporibus repetenda eorumque auctores Thraces habendos esse statuamus.

Diu tamen sacra bacchica Delphis in occulto delituisse neque omnibus comprobata fuisse videntur. Cuius rei causa eadem fuit, quam supra proposuimus. Achaei Delphis quoque cum in aliis rebus tum maxime in sacris per multa

1) Aesch. Eum. 24 sqq. Huiusce fabulae initium magni omnino momenti est in quaestione de diis Delphicis instituenda.

2) Eurip. Ion. 550 sqq.

3) In Argum. Pind. Pyth. p. 297, ubi Bacchus manticum tripodem primus occupasse dicitur.

4) Homerus hoc loco mentionem facit Panopei Phorensium urbis eamque appellat *καλλίχορον;* quo nomine hanc urbem propterea ab Homero ornatam esse putat Paus. (X. 4, 2), quod in ea thyiades Atticae ad Trieterica proficiscentes choros agitare solerent. Cf. Welcker l. c. I. p. 445, O. Mueller de tripode Delph. p. 13.

5) De Thracibus Delphorum confinia incolentibus cff. O. Mueller l. c. et Orchom. p. 379, Welcker l. c. I. p. 145, Gerhard Ueber Griechenl. aelt. Volksst. l. c., Bernhardy l. c. I. p. 233.

6) De Thracidarum gente Delphica mentionem facit Strabo XVI, 24.

saecula praevaluerunt. Quorum auctoritate factum esse putamus, ut Apollinis religio principatum nancisceretur [1]), Thracia vero Bacchi sacra illius splendore ac maiestate vel obscurata vel repulsa per mysteria traderentur.

Achaeorum aetatem illa tempora subsecuta sunt, quibus singularum stirpium, quos Hellenum nomen comprehendit, migrationibus novus rerum ordo in Graeciam ingredi coepit. Potentissimi inter illas quidem gentes per multa saecula fuerunt Dorienses, qui non solum per omnes fere Peloponnesi provincias dominationem nacti sunt, verum etiam in Graecia quae vocatur media plures urbes nec non mediocri auctoritate florentes occuparunt. Inter eas etiam Delphi fuerunt, ubi diu illi quidem principatum obtinebant. Dorienses autem in iis quae ad sacra pertinebant, ab Achaeis haud multum diversi fuisse videntur. Idem enim Apollo apud illos quoque summus fuit deus, cuius cultum per totam fere Graeciam propagarunt; Delphicum autem Apollinis oraculum plurimum inter Dorienses valebat atque in eorum paene servitium transiit. Bacchum vero aspernabantur Dorienses eiusque sacra mulieribus tantum minoribusque gentibus concesserunt [2]). Hinc nobis coniicere licet Delphis quoque Dorienses, quamdiu illic soli principatum tenerent, bacchicae religioni obfuisse magis quam profuisse.

Noli tamen credere sacra bacchica obliterata vel neglecta esse illo tempore. Fuit immo perquam idoneum atque opportunum ad ea excolenda. Peractis enim Doriensium migrationibus ea saecula secuta sunt, quibus adulescente paullatim ratione Graeci insitas ingenii dotes excutere magnoque quodam animi aestu stimulati rerum humanarum omnium nova fundamenta iacere coeperunt [3]). Regium imperium plurimis locis abrogatur, nobilitatis auctoritas pau-

1) Apollinem Delphicum inter Achaeorum deos numerandum esse ex Homericis carminibus satis apparet. Quin adeo si Cretenses, quos coloniam suamque Apollinis religionem Delphos deduxisse constat, cum Gerhardio inter Achaeos numeramus, ab iisdem Achaeis Apollinis Delphici sacra cultumque magnam quidem partem repetere licet. Proposuit Gerhard hanc sententiam argumentisque haud levibus eam confirmavit in dissert. Ueber den Volksstamm der Achaer (in Commentt. Acad. Boruss. 1853) p. 419. Quae Gerhard eod. l. p. 448 de Achaica Delphicorum optimatium origine statuit, minus certa mihi videntur.

2) Cf. Welcker l. c. I. p. 445. Dorienses omnino chthoniorum deorum sacra primo respuisse videntur. Cf. Gerhard Ueber Griechl. aelt. Volksst. p. 469.

3) Perspicuam imaginem illius temporis Lobeck expressit in Aglaoph. p. 312 sqq.

latim frangitur, universus denique rerum civilium status per totam fere Graeciam mutatur. Maior etiam fuit religionum conversio, quae Homericum aevum gliscente in dies auctoritate sacerdotum subsecuta est. Heroicae aetatis dii sacraque non iam omnibus erant probata, novae superstitiones exterarumque nationum cultus innotescere atque induci, minorum gentium dii pluris aestimari coepti sunt. Praesentia desperantes, anxii de futuris ad eas praesertim religiones inclinabantur, quae animi sollicitudinem tollere melioraque solatia praebere viderentur. Quid mirum igitur si bacchica potissimum sacra ex Hesiodi temporibus, qui mysticae illius aetatis fuit praecursor, crebrius commemorari latiusque efflorescere videmus? Naturali quadam ratione illa quidem ad humanam vitam spectabant et quoniam per mysteria tradebantur eorum argumenta nec nisi per symbola adumbrabantur, in hunc modum a sacerdotibus facile effingi poterant, ut interiora illa atque recondita animi humani desideria explerent. Ii autem qui ad excolendam propagandamque Bacchi religionem plurimum tribuerunt, fuerunt Aeoles, qui ex complurium stirpium elementis concreti pristinorum imprimis Thracum reliquias omnes hereditate tamquam adepti sunt [1]. Inter eos etsi Boeotos Bacchi cultores longe studiosissimos fuisse concedimus, Delphos tamen, quorum incolae maximam quidem partem inter eosdem Aeoles numerandi sunt [2], haud minorem operam in excolendis perpoliendisque sacris bacchicis consumpsisse non vana ratione affirmandum putamus. Quaecunque de Thracio Baccho, cui nomen fuit Sabazius, ab antiquitatis scriptoribus memoriae prodita sunt, ea nobis ostendunt illius sacra ac sollemnia magna quadam ferocia atque barbarie agitata neque ab omophagorum hominumque immolandorum immanitate aliena fuisse [3]. Persimilia fuerunt vetustissima eiusdem dei sacra apud Graecos, quam ob causam Agrionia, Bacchus ipse Agrionius vel Omestes vel Omadius vel Laphystius appellabatur [4]. Latissime patebat hoc sacrorum genus per Boeotiam ipsam, ubi omnino plurima Thracum eorumque sacrorum

[1]) Cff. Welcker l. c. I. p. 449, Gerhard Ueber Griechl. aelt. Volksst. l. c. p. 467 et Ueber den Volksst. d. Achaeer l. c. p. 441.

[2]) Sequitur hoc ex Strabonis verbis VIII. p. 383: *πάντες γὰρ οἱ ἐκτὸς Ἰσθμοῦ πλὴν Ἀθηναίων καὶ Μεγαρέων καὶ τῶν περὶ τὸν Παρνασσὸν Δωριέων καὶ νῦν ἔτι Αἰολεῖς καλοῦνται.*

[3]) Veterum scriptorum loci de Thraciis Bacchi sacris collegerunt Lobeck in Agl. p. 290 sqq., Gerhard Ueber Griechl. aelt. Volksst. p. 463, Welcker l. c. I. p. 426 sq.

[4]) Cf. Welcker l. c. I. p. 444 sq.

vestigia nobis occurrunt. Delphica quoque vel Parnasia Trieterica, quantum ex originis aequabilitate reliquaque similitudine, quae iis cum Boeoticis Thraciisque sacris erat, colligere licet, eandem speciem eosdemque ritus antiquitus habuisse videntur. Mature tamen pristinam immanitatem atque ferociam illa quidem exuerunt. Taurum quidem Delphis quoque Bacchi symbolum fuisse, quem thyiades *πάθεα* dei in Parnaso imitantes vivum laniare, discerpti deinde cruda membra degustare consueverint, concedi fortasse potest, quoniam Delphis quoque Bacchi Tauri cognomen habuisse [1]) et omophagorum gustatum in mysteriis bacchicis permagni momenti symbolum fuisse constat [2]); homines vero in memoriam ac similitudinem morientis Bacchi Delphis ut aliis locis immolatos esse nullum usquam reperitur indicium. Hanc mitiorem sacrorum bacchicorum formam si Apollinis vicinitati ac dignitati tribuendam esse censemus nemo certe obloquetur. Eidem fortasse tribuendum est quod Delphis ne Cybelei quidem cultus, cuius fanaticae caerimoniae illa aetate plurimis locis cum bacchicis sacris permixtae atque confusae sunt, ulla vestigia exstant. — Theologi autem Delphici sacra bacchica non solum emollierunt verum etiam auxerunt novamque iis speciem ac colorem dederunt. Nihil est, quod magis hoc manifestum faciat, quam Delphicum Bacchi sepulcrum, quod cum Delphis solis proprium fuerit minime dubitandum est quin ab eiusdem urbis sacerdotibus novatum sit eo scilicet consilio, ut Delphorum auctoritati in iis quoque rebus, quae ad religionem bacchicam pertinerent, novus accederet cumulus. — Fabulam quoque de morte Bacchi vel Zagrei a Delphorum theologis pertractatam atque excultam esse supra iam demonstrare conati sumus. Qua ratione id factum sit quidque omnino de origine illius fabulae statuendum nobis videatur hoc loco uberius exponamus.

Statuimus supra Delphorum Trieterica originem duxisse a Thracibus. Hoc concesso prima quoque elementa illius fabulae, quae est de Bacchi internecione, ab iisdem repetere oportet, quoniam omnes eiusmodi fabulae nil nisi mythicae

[1]) Tauri et symbolum et cognomen trieterico Baccho pluribus Baccharum locis tribuitur. Idem testantur de Delphico Baccho Lycophronis versus supra (p. 3 no. 5) allati.

[2]) Omophagis iis degustandum fuisse videtur, qui mysteriis bacchicis initiari volebant. Destinata fuit sine dubio haec caerimonia ad renovandam memoriam Bacchi a Titanibus membratim discerpti. Spectare videntur ad eam Eurip. Bacch. 139 et Plut. de esu carn. I. extr. Cff. Preller in Paul. Realenc. l. c. ad fin., Welcker l. c. II. p. 632.

quaedam ipsorum sacrorum adumbrationes fuerunt atque ad eam rem introductae, ut quae in illis fierent, cum ratione facta viderentur [1]). Simplicem vero vicissitudinum in rerum natura per annum apparentium allegoricam interpretationem fabulam illam apud Thraces transgressam esse negare quam affirmare maluerim. Accessiones enim quas tamquam subtemina fabulae staminibus insertas videmus, non ex Thracia deductae, sed Delphis additae sunt [2]). Haec tamen additamenta non ab ipsis Delphorum sacerdotibus ficta, sed ex similitudine **Iovis Cretensis** in Bacchum translata esse putamus. Magnopere fovebant Cretes sacra cultumque cuiusdam dei, qui eandem quam Bacchus vitae naturalis allegoriam exprimit [3]), poetarum vero auctoritate Iovis nomen accepisse Graecorumque systemati mythologico insertus esse videtur [4]). Fabula quae de ortu pueritia morte sepulcroque illius dei per totam fere Graeciam inde ab Hesiodi temporibus latissime patebat, ad similitudinem eius **fabulae**, quae spectat ad Bacchum Zagreum, tam prope accedit, ut eas affinitate quadam inter se coniunctas esse pro certo affirmari possit. Quoniam autem Cretensium colonos antiquissimis temporibus Delphis consedisse magnamque ibi auctoritatem in rebus sacris obtinuisse constat [5]), ulterius progredi optimoque iure suspicari nobis licebit Cretes Delphicos primos fuisse auctores bacchicae fabulae eamque ad exemplum eius sermonis, qui de Iove suo patrio ferebatur, conformasse. In hunc igitur modum variae virorum doctorum de origine huiusce fabulae opiniones [6]) consociandae mihi videntur: fabulae elementa, quae simplici vicium naturalium in actiones vel

[1]) Cf. Lobeck l. c. p. 693. Num ipsum **Zagrei** nomen Thracibus iam cognitum ab iisque adeo inventum sit, ut C. O. Mueller (Orchom. p. 383) et Gerhard (Ueber Orpheus No. 183), statuerunt, testimoniis comprobari nequit.

[2]) Hoc ex scena fabulae colligendum esse demonstravimus supra p. 10 sq.

[3]) De natura Iovis Cretensis eiusque similitudine cum Baccho Zagreo cff. Hoeck Creta I. p. 230 et 236 sqq.; Preller Griech. Myth. I. p. 102 sqq.; Welcker l. c. II. p. 222 sqq.; Gerhard Ueber Orph. p. 25.

[4]) Cf. Welcker l. c. p. 218, 227 sq.

[5]) Quidquid de Cretibus Delphicis viri docti statuerunt, nullo modo negari potest usque ad primum quod vocatur sacrum bellum magna eos auctoritate in rebus ad religionem pertinentibus Delphis floruisse. Eosdem etiam Cretensis Iovis memoriam Delphis conservasse ostenditur illo *βαιτυλίῳ*, quod iam ab Hesiodo (Theog. 498 sqq.) saxum a Saturno redditum explicatur.

[6]) Virorum doctorum alios e Thracia, alios ex Creta fabulae huiusce originem repetere satis notum est neque opus videtur sin-

casus ipsius dei conversione continentur, sub ipsis sacrorum primordiis in Thracia nata, adiuncta elementa ex Creta repetenda, auctores denique vel potius *συνθέται* fabulae **Delphorum theologi** habendi sunt [1]). Videntur tamen illi quidem in adornanda fabula aliis quoque similibus usi esse, inter quas Aegyptiorum sacrum sermonem de Osiride sine dubitatione referas. Osiridis numen idem significare quod Bacchi eiusque sacra Delphis non solum cognita verum etiam societate quadam cum bacchicis coniuncta fuisse testatur Plutarchus [2]), qui Cleam quandam Delphicarum thyiadum principem Osiriacis quoque sacris initiatam fuisse perhibet. Graecis autem cum caeteris tum Delphis Aegyptus eiusque sacra iis iam saeculis, quae externis mysticisque cultibus maxime prona fuisse diximus, satis nota erant [3]); quam ob causam Delphorum theologos Osiridis quoque fabula in adornando sermone sacro de Zagrei internecione usos esse perquam credibile est. — Quo tempore ex illis quidem elementis fabula de casibus Bacchi composita sit, ex iis consequitur, quae de religionis bacchicae cum universae tum Delphicae progressu adhuc statuimus. Etenim si Hesiodi aetate saeculisque subsequentibus hanc religionem latius fundi magisque probari coeptam esse constat, iisdem quoque temporibus fabulam illam, quam nil nisi sacrorum ac caerimoniarum interpretationem quandam sermone adumbratam fuisse diximus confectam esse verisimile est neque cum Lobeckio facere possumus, qui Onomacritum demum eam

gulorum sententias nominatim citare. — Qui fabulae incunabula a Phrygibus ducant cum iis facere, qui a Thracibus eam repetant intellegitur ex iis, quae de Thracum Phrygumque cognatione et sacrorum communione supra diximus.

[1]) Immerito Lobeck de Delphica fabulae origine dubitare mihi videtur hoc uno scilicet argumento fretus, quod in carminum Orphicorum reliquiis nullum verbum de istis rebus legatur. Si neque cura, qua Pythius Apollo Bacchum amplectitur, neque Delphicum Bacchi sepulcrum iam **Philochori** testimonio (ap. Muellerum fragment. histor. Gr. I. p. 387) confirmatum sufficiunt ad probandum Delphorum theologos, quos per multa saecula summa auctoritate in Graecia floruisse constat, fabulam illam composuisse, equidem non video quanam fide in eiusmodi rebus niti nobis liceat.

[2]) De Is. et Osir. 35: *Ὅτι μὲν οὖν (Ὄσιρις) ὁ αὐτός ἐστι Διονύσῳ, τίνα μᾶλλον ἢ σε γινώσκειν, ὦ Κλέα, δὴ προσῆκόν ἐστιν ἀρχηγὸν μὲν οὖσαν ἐν Δελφοῖς τῶν Θυιάδων, τοῖς δὲ Ὀσιριακοῖς καθωσιωμένην ἱεροῖς ἀπὸ πατρὸς καὶ μητρός.* Cf. Diod. I. 36.

[3]) Septimo saeculo Aegyptus eiusque instituta Graecis iam satis innotuerant; cff. Lobeck l. c. p. 314, Duncker Gesch. des Alterth. III. p. 88. De Aegypti rationibus cum **Delphis** cf. Curtius Griech. Gesch. I. p. 422.

finxisse arbitratur [1]. Quod ut statueret Lobeckius, Pausaniae quodam loco adductus est [2], qui Onamacritum Baccho orgia condidisse et casuum eius auctores perhibuisse Titanes testatur. Pausaniae testimonium non satis accuratum esse Lobeckius ipse intellexit, qui priorem partem illius loci multo limitandam esse merito censuit [3]; quid de fide alterius partis statuendum sit quaerere nec possumus nec volumus. Concesso enim verum prodidisse Pausaniam tamen hoc tantum modo ex illius verbis effici potest novasse quaedam Onomacritum in hac fabula primumque fortasse literis eam consignasse [4]; fictam vero esse totam ob Onamacrito ex Pausaniae loco minime apparet [5]. Immo referenda est illa quidem inter sacros sermones (*ἱεροὺς λόγους*), qui a sacerdotibus solis per mysteria tradebantur diuque celabantur, priusquam eos enuntiare iterisve mandare quisquam auderet [6]. Ex iis vero, quae modo de fabulae origine exposuimus, facere non possumus, quin cum principibus aetatis nostrae mythographis [7] in C. O. Muelleri sententiam discedamus, qui Onomacritum ipsum illius argumentum a Delphorum sacerdotibus accepisse statuit.

De Zagrei fabula nunc quidem hactenus. Redeamus iam unde egressi sumus quaeque alia Delphorum sacerdotes in sacris bacchicis novasse videantur, porro persequamur. — Ut sepulcrum Bacchi, ita funebria quoque eius sacra cum illo coniuncta, qualia supra enarravimus, Delphis solis propria fuerunt; nusquam enim alibi similis Bacchi reliquiarum cultus exstant vestigia. — Palingenesiis quoque sollemnibus Delphorum theologi singularem quandam operam

[1]) L. c. p. 616 sqq.: ubi Lobeck C. O. Muelleri sententiam impugnat, qui (Prolegg. myth. p. 390 seqq.) Onomacritum fabulae argumentum a Delphorum sacerdotibus accepisse coniecerat. Cf. ibid. p. 692 sqq.

[2]) Paus. VIII. 37, 5: *παρὰ δὲ Ὁμήρου Ὀνομάκριτος παραλαβὼν τῶν Τιτάνων τὸ ὄνομα Διονύσῳ τε συνέθηκεν ὄργια καὶ εἶναι τοὺς Τιτᾶνας τῷ Διονύσῳ τῶν παθημάτων ἐποίησεν αὐτουργούς.*

[3]) De orgiis ab Onomacrito Pausania teste conditis ait Lobeck: Bacchi autem orgia ante Onomacritum nulla fuisse huic credulo antiquitatis fautori [Pausaniae] nunquam in mentem venit. Itaque hoc tantummodo dicere voluit Onomacritum sacris bacchicis novum quendam colorem et speciem induxisse.

[4]) Cf. p. 10 not. 5.

[5]) Si ante Onomacritum nulla illius fabulae vestigia exstant magnam partem id quidem illius temporis obscuritati tribuendum est, quod ut ipse ait Lobeck (p. 313) nullis fere literarum monumentis illustratum regionis simile dici potest caecis nubilis obductae.

[6]) De ratione sermonum sacrorum cf. Welcker l. c. I. p. 88 sq.

[7]) Cff. Boeck l. c. III. p. 184, Welcker l. c. II. p. 637, Gerhard Ueber Orpheus p. 26.

admoverunt. Nusquam enim Bacchi in vitam restituti memoriam tanta specie tantoque decore celebratam videmus, quanto Delphis Licnitae pompa praetereunte hieme duci solebat [1]. Venustissimum autem illud Bacchi cognomen quod Zagreo contrarium prosopopoeia quaedam est reflorescentis naturae, Delphico deo quantum scimus soli erat impositum. — His omnibus collatis facere non possumus, quin Delphorum theologos sacris fabulisque bacchicis propriam quandam speciem ac colorem induxisse optimeque de excolendis perpoliendisque iis meritos esse statuamus. —

Eosdem tamen haud omnia, quibus sacra sua adornarunt ex suopte ingenio finxisse cum fabulae ratio de Zagrei internecione compositae tum Heroidis sollemnitas nos edocet. Hoc festum ad Semelam spectabat; Semelae autem et nomen et origo neque a Delphis neque a Thraciis oris communi sacrorum bacchicorum fonte repetenda sed Thebarum propria est [2]. Thebarum incolae inter omnes urbes Boeotiae, quam totam antiquissimis temporibus principem Bacchi sedem fuisse supra diximus [3], plurimum ac maturrime illius religionem cultumque foverunt [4]. Thracum Sabazio Semelam domestici regis filiam illi quidem matrem dederunt fabulasque de Dithyrambo vel de duplici huiusce dei ortu finxerunt, quo facto ad Graecorum deos Bacchus evectus est. Quodsi igitur Delphis Semelei qui vocatur Bacchi vestigia exstare videmus, Thebarum religionem etiam ad Delphorum sacra excolenda magnam aliquando vim habuisse credibile est [5], eo magis, cum Thebarum quoque mulieres Parnasiis orgiis interfuisse constet. —

Enucleatis elementis ex quibus bacchica Delphorum sacra fabulaeque coaluerunt expositoque quid de origine primoque progressu eorum statuendum nobis videatur, proponatur iam quaestio, quo tempore sacra bacchica Delphis publice comprobata proximum post Apollinem locum occu-

[1]) De hac praestantia Delphicorum sacrorum cff. Welcker l. c. I. p. 448 Preller in Paul. Realenc. l. c. ad fin.

[2]) De Semela Bacchi matre a Thebanis introducta cf. Welcker l. c. I. p. 435 sqq.

[3]) Plutarchus (quaestt. conv. III. 2 2) simpliciter Bacchum **Boeotiae deum** appellat. De Boeotorum sacris bacchicis cf. inprimis Preller in Paul. Realencycl. l. c. p. 1065 sqq.

[4]) Thebarum urbem antiquissimam sacrorum bacchicorum sedem fuisse inter alios antiquitatis scriptores testatur Eurip. Bacch. I. 20. 23, ubi Bacchus a barbaris primum Thebas pervenisse dicitur.

[5]) Eurip. teste (l. c. 306) Trieterica Delphica Thebis quin adeo deducta sunt.

paverint. Ex iis quae supra de religionis bacchicae progressu disputavimus colligamus oportet septimo fere ante Chr. saeculo id factum esse. Fortasse etiam accuratius tempus constitui potest. Circiter Olymp. XLII mystica Bacchi sacra primum Athenas deducta eodemque fere tempore chori tragici, quibus Sicyonii antea Adrasti πάθεα prosequi consueverant, a Clisthene tyranno ad Bacchum translata sunt. Utrumque autem Delphorum consilio vel auctoritate institutum videtur [1]) ideoque quoniam haud verisimile est commendatas esse religiones a Delphorum theologis, quas ipsi neglegerent, statuendum esse arbitramur Delphos iam ante illud tempus primumque omnium Graeciae urbium solis fortasse Thebis exceptis sacra bacchica ex tenebris protulisse publiceque comprobasse [2]). Hoc concesso efficitur **Delphos non solum Apollinis verum etiam Bacchi principem fuisse sedem ideoque augustissimum esse meditullium duarum religionum, quae omnium Graecarum longe gravissimae et tamquam fontes habendae sunt, unde omnium bonarum humanarumque artium, quibus Graeci plurimum floruerunt, initia ac semina manarunt.**

Posteaquam autem sacra bacchica Delphis comprobata sunt cum Apollinis cultu intimam inierunt gratiam arctissimeque paullatim copulata sunt [3]). Repertum est nuperrime vas antiquum [4]), cuius altera pictura ad Delphicam illorum deorum societatem spectat: Apollo atque Bacchus suis uterque

[1]) Delphico oraculo comprobante sacra bacchica Athenas deducta esse testantur Demosth. Mid. 51 sq. et Paus. I. 2, 5. Factum hoc est post Cylonis cladem Epimenide auctore, qui urbe expiata ac lustrata Athenarum sacra magnam quidem partem emendavit speciemque iis induxit, quae apollinaribus bacchiisque elementis permixtis ad similitudinem accessit sacrorum Delphicorum. Cff. Gerhard Ueb. Orpheus p. 26 sqq. et A. Mommsen l. c. p. 52. — Clisthenem quoque, etiamsi oraculum Delphicum Adrasti cultum aboleri vetuerat, sacra bacchica non solum ad Thebanorum verum etiam Delphicorum exemplum conformasse ex rationibus eius cum Delphis colligere licet, de quibus cf. Curtius Gr. Gesch. I. p. 213 sqq. — Methymnaeis quoque oraculum Delphicum Bacchi cultum commendaverat Paus. teste X. 19, 3. Cf. Gerhard Gr. Myth. I. p. 499.

[2]) Per se iam maxime credibile est Delphorum theologos summae auctoritatis, quam in rebus sacris obtinerent, conservandae causa primos mysticis illius aetatis studiis morigeratos esse bacchicamque religionem tum maxime gliscentem eadem cura qua Apollinis cultum fovere coepisse.

[3]) Loci solius consortio fieri plerumque solebat, ut variorum deorum cultus inter se paullatim familiaritatem quandam inirent. Cf. Gerhard Ueber Griechl. aelt. Volksst. l. c. p. 476.

[4]) Editum est hoc vas a Stephanio in Compte rendu de la société archéol. de St. Petersb. de l'ann. 1861.

symbolis ornati et bacchico comitatu circumdati supra omphalum illustrissimum illud Delphorum simulacrum iunctis manibus in hac imagine nobis proponuntur [1]). Eandem societatem testantur Delphorum sacra fabulaeque. Quanta cura Apollo Bacchum mortuum prosecutus sit utque ipse sacra eius sepulcralia instituisse feratur, supra iam attigimus. Attulimus etiam scriptorum testimonia, ex quibus apparet Trieteridem bacchicam ad Apollinem quoque aliquo modo spectavisse [2]). Templum autem Delphicum utriusque dei sacra et simulacra una continebat: Apollinis enim atque Bacchi tripodes iuxta stabant in adyto subterraneo [3]); ex statuarum autem turmis in aetomatis templi collocatis altera Apollinem Dianam Latonam Musasque, altera occidentem Solem Bacchum thyiadesque proponebat [4]); huiusce compositionis ratio cum Plutarchi testimonio supra citato [5]) collata de proprietate illius societatis accuratius nos edocet: Delphorum theologi Bacchum atque Apollinem ita consociarunt, ut hic hiberni potius vel brumalis, ille aestivi vel solstitialis temporis praeses appareret, alter igitur alterius sacra numenque quodammodo suppleret. Ex metopis quoque templi Delphici unum, fortasse etiam plura ad Bacchum spectabant [6]). Ad fabulas autem quod attinet si a vulgari mytho, qui utrumque deum Iovis filium fuisse perhibet, discesseris, finxerant Delphorum incolae Thyiam primam Delphici Bacchi sacerdotem Apollini nuptam fuisse [7]). Pythagoras quoque Sileni filium Apollinem nominans [8]) Delphorum sacra sine dubio respexit. Delphis denique tibia Bacchica primum per totam

[1]) Stephani accuratissime hanc imaginem descripsit, quocum in singulis rebus fere omnibus nos consentire fatemur. Quae vero attulit, ut eam cum altera eiusdem vasis pictura, quae Paridis iudicium proponit, argumenti quadam societate cohaerere demonstraret, minime persuadere nobis potuerunt, ut in eandem sententiam discederemus. Immo statuimus sui tamquam iuris esse nostram imaginem eaque nil nisi Delphicam amborum deorum consociationem adumbrari. — Caetera artis monumenta, quae ad Bacchi Apollinisque consociationem spectant quorumque postremum Stephani eod. l. p. 63 sqq. locupletissimam collectionem fecit, hoc loco praetermittamus, quoniam ad Delphorum sacra minus pertinent.

[2]) Paus., Lucan., Macrob. ll. p. 4 No. 2 cc.

[3]) Cf. p. 3 No. 4.

[4]) Paus. X. 19, 4. Cff. Welcker A. Denkm. I. p. 151 sqq., O. Iahn Arch. Beitr. p. 71, Kayser Delphi p. 56.

[5]) p. 1. No. 4. Cf. Macrob. Sat. I. 18.

[6]) Cf. Ulrichs Reisen u. Forschgg. I. p. 72.

[7]) Pausan. X. 6, 4.

[8]) Cf. Porphyr. vita Py. 16.

Graeciam recepta cum Apollinis cithara in sacris concinebat[1]). Simili sacrorum societate iidem dei permultis aliis locis coniuncti erant; **his fortasse omnibus Delphos primum illius consociationis exemplum dedisse** propterea statuendum putamus, quod optimis antiquitatis temporibus Delphorum urbs summa in rebus sacris auctoritate florebat simulque augustissimum erat meditullium utriusque religionis cum Bacchicae tum Apollinis.

Hoc concesso Delphorum theologos primos quoque fuisse statuamus oportet, qui mistis mutatisque vel symbolis vel comitibus vel cognominibus Bacchum et cum Apolline et cum caeteris diis principibus in unum deum confunderent[2]). Concedamus licet hanc theocrasiam neque unquam neque usquam **publico** cultu totam esse receptam, longe tamen lateque patebat ex eo praesertim tempore, quo religiones Graecorum Romanorumque cum gliscente doctrina Christiana contendere coeperunt. Prima autem summaque omnis theocrasiae causa ex ipsius mythologiae ratione et natura intellegitur. Nemo enim negare potest in Graecorum religione et mythologia etiamsi ad extremum polytheismum progressa sit certa quaedam manifestaque monotheismi vestigia exstare. Deorum multitudo ex unius dei notione ita demum orta videtur, ut aut singulae vires quae summo numini una simulque ab initio tribui solebant, aut multiplices formae ac proprietates, quas idem illud numen apud singulas stirpes quamdiu mutua contagione intactae manserant paullatim induerat, totidem singulares dii crederentur[3]). Graecorum vero mythologia religioque etiamsi perpetuo deorum multitudinem conservavit, nunquam tamen unius summique numinis divini memoriam prorsus exuit. Epici poetae ut polytheismi auctores ita primi fuerunt, qui cum singulos deos ab uno ortos atque inter se cognatos esse fingerent, deorum multitudinem ad unitatis quandam rationem reducerunt. Quodsi enim in systemate mythologico, quod in Homeri carminibus et Hesiodi theogonia expressum videmus, Iuppiter principatum obtinet reliquosque deos omnes subter se habet, nonne hoc vestigium et sublucana quaedam memoria est pristini monotheismi? Homeri atque Hesiodi aeta-

[1]) Cf. Bernhardy Griech. Ltgesch. I. p. 340 et 346 ed. III.

[2]) De Bacchi Apollinisque et coniunctione et confusione satis copiose disseruerunt Welcker Gr. Goetterl. II. p. 610 sqq. et Stephani l. c. p. 56 sqq. De theocrasia universa cff. Lobeck l. c. p. 438 sqq. et Gerhard Auserles. Vasenb. I. p. 144 sqq.

[3]) Conferantur quae Simrock de priscorum Germanorum religione et mythologia exposuit in Handb. d. deutsch. Mythol. p. 188 sqq.

tem, ut supra exposuimus, ea saecula secuta sunt, quibus omnium fere rerum statu mutato novae quoque vel contemptae antea religiones propagari atque efflorescere coeperunt. Summi superique qui vocantur dii pluribus locis obscurati vel repulsi inferioribus chthoniisque inprimis, quorum sacra mysticis illius aetatis studiis maiorem in modum respondebant, principatum paullatim cesserunt. Latissime omnium Bacchi sacra probari fundique coepta sunt, quod rerum publicarum mutatis conditionibus maxime tribuendum est[1]). Multarum urbium sacris patriis illa quidem paullatim sese insinuarunt, deinde eorum locum sibi ipsa vindicarunt. Ut autem legitimo quodam fundamento haec sacrorum conversio niteretur finxerunt theologi vel sacerdotes Bacchum eundem esse et prorsus parem caeteris diis magnis fabulamque condiderunt, qua Iuppiter principatum mundique imperium filio suo tradidisse ferebatur. Hac ratione Bacchus universalis quodammodo deus paullatim factus est. Fuit sane huiusce dei numen ita comparatum, ut cunctorum deorum vim et substantiam facile in se conciliare posset. Nemo enim deorum primigeniam notionem naturalem pari sinceritate conservavit, nullus vim vitalem naturae contrariasque eius formas plenius in se congregatas habuit, quam Bacchus. Huius numen ad omnem telluris vitam spectabat: ut Licnites reflorescentis naturae, ita Zagreus torpentis vel obmortuae prosopopoeia fuit ideoque facile aut Orci filius appellari aut cum ipso inferorum principe confundi potuit; Orci princeps e contrario ex hac theocrasia ad similitudinem Licnitae accedens fructuum largitor factus et blando „Plutonis“ nomine ornatus est[2]). Telluris autem vita cum ex humoris calorisque vi atque effectu simul pendeat, Bacchus facile cum Neptuno atque Apolline vel Sole permisceri potuit[1]). Ut Bacchus denique cum Iove ipso confunderetur eiusque successor in mundi imperio appellaretur, id inde factum est, quod eadem vis naturalis, quae Baccho, illi quoque antiquitus inerat. — Theocrasiae auctores sine dubio fuerunt primi philosophi, qui rerum omnium unam et principalem causam exquirentes deorum quoque numina, quae singularum

[1]) Religionem bacchicam simul cum crescente populari ratione increbruisse consentiunt omnes mythographi.

[2]) Huius theocrasiae antiquissimus auctor Heraclitus philosophus est Clem. teste Protr. p. 30 ideoque versimile, quod infra statuimus theocrasiam omnem ad eandem aetatem ad quam philosophiae incunabula recedere.

virium in rerum natura exstantium allegorias recognoverant, ut ipsas illas vires confundere atque congregare coeperunt. Eorum vestigia secuti **Orphici** deinde theocrasiam in certam quandam rationem formamque redegerunt eaque usi permulta in sacris novarunt [2]. Satis notum est Orphicorum sectam doctrinamque plurimum valuisse Athenis, quarum sacra Pisistrati aetate prorsus orphicam vel bacchicam speciem coloremque induerunt [3]. Cogitantibus vero primum quam verisimile sit Onomacritum, Orphicorum principem, argumentum fabulae, quam de Bacchi vel Zagrei morte composuit, a Delphorum theologis accepisse, deinde mystica Bacchi sacra auctoritate et ad exemplum eorundem Delphorum Athenis instituta esse [4], tertium Pythagoricos eosdem quos Orphicos vel intima certe societate cum iis coniunctos doctrinam suam, fortasse etiam nomen Delphis debere, postremum denique eandem urbem illo quidem tempore per totam Graeciam sacrorum quasi ducem et magistram fuisse [5]) statuendum esse arbitramur **Orphicam theologiam originem duxisse a Delphis Delphorumque sacerdotes primos Orphicos fuisse** [6]).

Collatis omnibus quae adhuc de Delphico Baccho exposuimus intellegitur illius religionem non solum Delphis verum etiam per totam Graeciam locum obtinuisse dignissimum. Quantumvis igitur postea Atticarum eiusdem dei sollemnitatum splendore et gravitate illa vel superata vel obscurata sit, hoc tamen ei manet et ad ipsas illas sollemnitates, quibus Athenienses omnium bonarum humanarumque artium florem et maturitatem probarunt, instituendas eam maximam vim habuisse et toti Graecorum religioni viam ac tamquam propugnaculum munivisse, qua postea increbrescenti doctrinae Christianae diu resistere posset.

---

[1]) Notandum est Bacchum antiquissimum vel Sabazium iam inde ab initio et Neptuni et Apollinis vel Solis numina in se conciliasse. Cf. Welcker Gr. Goettl. I. p. 428 sq.

[2]) De sacris ab Orphicis mutatis singulari capite disseruit Gerhard in libello „Ueber Orpheus u. d. Orphiker“ inscripto p. 25 sqq.

[3]) Cf. A. Mommsen Heortol. p. 19 et 60 sqq.

[4]) Tenendum est praeterea Atticas quoque mulieres Trieterica Delphica concelebrare solitas esse.

[5]) **In rebus sacris** Delphos optimis Graeciae temporibus principatum obtinuisse haud negaveris etiamsi Curtium (Griech. Gesch. I. p. 451) Delphorum auctoritati nimium tribuisse censeas.

[6]) Simili sententiae inclinare videntur Gerhard l. c. p. 24, Bernhardy Gr. Ltgesch. I. p. 347, A. Mommsen l. c. p. 59 sqq.

Sententiae controversae.

1) *Pythagoras historica persona non habendus est.*

2) *Quaestiones criticae a gymnasiis haud prorsus removendae sunt.*

3) *Errant qui Pieriam a cultu bacchico alienam fuisse statuunt.*

4) *Tacit. Germ. 5: „satis ferax“ vertendum est: „für Saatfrüchte geeignet.“*

5) *Apud eundem Hist. I. 33 scribendum puto: Stimulante Icelo privati odii pertinaci in publicum exitium.*

6) *Sophocl. Oedip. Tyr. vv. 261 et 262 interpolati sunt.*

7) *Ibid. v. 269 scribendum est:*
κακὸν κακῶς ἄμοιρον ἐκτρῖψαι βίον (omisso νιν)

VITA.

Natus sum a. d. XIV. cal. Septembr. a. h. s. XL in urbe ab Ehrenberti saxo denominata patre Francisco matre Catharina de gente Fischer, quam immatura morte mihi ereptam esse magnopere lugeo. Fidem confiteor catholicam. Literarum elementis imbutus gymnasium adii Confluentinum quod Dominico, viro humanissimo, rectore etiamnunc floret. Maturitatis testimonio munitus exeunte a. LIX Bonnam me contuli studiis philologicis operam navaturus. Ubi cum per biennium magna asperitate inopiaque pressus moratus essem Elberfeldam petii, ubi per quattuordecim menses privati secretarii munere functus apud C. Duncklenbergium negotiatorem aliquam mihi comparavi pecuniam. A. LXII Bonnam redii, ubi per biennium studia continuavi. Adversis vero quibusdam casibus morbisque longis afflicto nunc demum mihi licuit examina subire, postquam novissimum annum partim in patria urbe partem Honefii moratus sum. Per studiorum meorum cursum scholas audivi Bernhardtii, Brandisii, Diezii, Jahnii, Loebellii, Knoodtii, Noordenii, Ritschelii, Ritteri, Springeri, quibus omnibus magnas ago gratias, maximas vero Iahnio, Ritschelio, Noordenio, Rittero, viris humanissimis atque doctissimis, qui insigniter de me studiisque meis meriti sunt. Praetermittere denique non possum, quin pio gratoque animo C. Duncklenbergii meminerim, qui singulari quadam beneficentia atque benignitate etiam reducem me Elberfelda prosecutus est. Cuius viri peregregii memoriam per totam vitam retinebo.